



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Afflictio Consolans, Seu Svccincta Non Minvs Ac Clara Methodvs**

**Wintrich, Victor**

**Coloniæ, 1644**

Discvrsvs V. Quia venit Rex non crudelis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45734](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45734)

Benedictus igitur Rex noster, qui  
*Apoc. 6. exiit vincens vt vinceret, & nos ab ho-*  
 stibus his vindicaret.

Ne cum carne periremus, iuxta illud  
*Genes. 6. Non permanebit Spiritus meus in homine,*  
*quia caro est.*

Ne à mundo deciperemur.

Ne à Diabolo deuoraremur.

Benedictus igitur Christus, bellig-  
 rus, faciens victoriam, obtinens pacem.

## DISCVRSVS V.

*Benedictus qui venit in nomine*  
*Domini. Matth. 21.*

Quia venit Rex non crude-  
 lis.

**D**ixi in superioribus, Regem belli  
 experientiam obtinere debere,  
 ne se suosque periculis inuoluat,  
 Christumque meritò benedictum, qui  
 nobis vincendi arma, vires & dexterita-  
 tem



em subministrat ; hic demonstrabo,  
Crudelitatem à nostro Rege Christo  
procul abesse, ideoque illum benedi-  
cendum.

Primò, Reges non Crudeles esse o-  
portere.

Secundò, ex Cruelitate mala oriri.

Tertiò, Christum Cruelitatis pror-  
sus ignarum, ideoque bene dici de  
illo : Benedictus qui venit in N. D.

MAGNATES CRUDELES  
NON SINT.

In præcitis, quas Priensibus Bias  
tulit, Legibus, & hanc reperio.

*Nemo Cruelitatis notoria particeps,  
Gubernator populi, eligitor. Fieri enim  
aliter non potest, quàm quòd is, qui cru-  
delitate delectatur, in tyrannum euadat.*  
A sceptro, Crudeles, tam sacræ, quàm  
profanæ arcent Litteræ, neque qui talis  
est, esto regat, benedici nunquam po-  
terit.

Pulchrè Seneca ad Neronem sic scri-  
bit : Cruelitas minimè humanum ma-  
lum est, indignumq; Regio animo, feri-  
na illa rabies est, sanguine gaudere &



vulneribus, atque abiecto homine in fil-  
vestre animal transire. Vtinam hic, hu-  
ius Præceptoris Sapientis monita cordi  
sumpsisset, nunquam in tam horrendum  
ac toti Imperio perniciosum monstrum  
degenerasset, nunquam feram induisset,  
nunquam tam calamitosè totum Regni  
euertisset, non tres occidisset vxores,  
pepercisset matri, Senecam Magistrum  
non enecasset, neque seipsum desperant  
interemisset.

Aristoteles ad Alexandrum: Parce,  
inquit, humanum effundere sanguinem,  
quia hoc illius est, qui nouit abscondita  
cordis.

*Epist. 2.*

De Tyranno crudelitatis pleno sic O-  
uidius canebat:

*Te lapis, & montes, innat aq̄, rupibus altis  
Robora, te sœua progenuere fera.*

*Plato de  
Regib.*

Et diuinè diuinus Plato, crudelitatem  
ad tartara ablegat, sic scribens: Crude-  
litas in barathrum tartari abijcit, unde  
nunquam egrediuntur. En Reges intel-  
ligite, si æternum maledici nolitis, disci-  
te mansuetudinem, crudelitatem pro-  
scribite procul.

Nec sacræ aliter sentiunt Pagina.



crudelitatem semper maximè execran-  
tes. Sic Rex pacificus & mansuetus Sa-  
lomon, in Prouerbijs suis reliquit: *Be-  
nefacit anima sua vir misericors, qui au-  
tem crudelis est, etiam propinquos abij-  
cit.* An hic benedicendus? Prou. ii.

Et Isaiam audi contra crudelem Ba-  
bylonem tonantem, Dei que iram pro-  
nunciantem accensam: *Non posuisti, ait, Isa. 42.  
eis misericordiam, super senem aggraua-  
sti iugum tuum valde. Dixisti in sempi-  
ternum ero Domina.* Sed audi sequentem  
vindictam: *Venient tibi duo hac subitò,  
in die vna, sterilitas & viduitas.* Quid  
quod & Legislator Hebræorum Moyse  
in pœna & castigatione criminum cru-  
delem esse vetet? Sit autem castigatio-  
nem moderandam censuit, vt mansue-  
tudo in ea eluceat. Sic habes: *Sin au-  
tem illum qui peccauit, dignum viderint Deut. 25.  
plagis, prosternent, & coram se facient  
verberari.* Coram se, non vtique vt pla-  
gis pascant oculos, sed vt verberantium  
mitigent sæuitiam, pro mensura peccati  
erit & plagarum modus, ita duntaxat vt  
quadragenarium numerum non excedat:  
*ne scedè laceratus ante oculos tuos abest*

H 5.

fi do.



*frater tuus.* Optimè Seneca crudeles vocato, qui puniendi causam habent, modum non habent. Verè tales nec benedicendi, nec benedicti, cùm plurima in se suosq; inducant mala.

DAMNA CRVDELITATIS.

Elegantissimè & neruosè Franciscus Petrarcha more suo Principem crudelem alloquitur: Abstulisti libertatem a lijs, securitatem tibi, requiem vtrisque, tyrannidis status certi laboris, euentus ambigui, sed vt plurimum in foelicis. Non te ad Historias veteres atque extremas mittam; quis Phææi Alexandri exitus nesciat? quis Dionysij Syracusis, quis Aggregentini Phalaridis, quis Annonis Poeni, quis Elearij Heracleensis, quis Hipparchi demque Citheniensis, quem occidisse immortalis gloriæ interfectoꝝ fuit? Non ad recentiores, Cassium Meliumq; & Manlium Romanos ciues, Catalinam quoque & Gracchos, non tyrannos quidem, sed tyrannidem affectantes, inq; impijs conatibus deprehensos, coeptoq; prohibitos & oppressos.

Nec



Nec postremo qui maiores, non meliores, iusti verò Imperij trucem texere tyrannidem & iniustam: Caium scilicet & Neronem, Domitianum & Commodum, reliquosq; eius ordinis, solo nomine Principes, quorum mens tyrannica & tyrannicus finis fuit. Sed ad alios, quos auorum patrumq; memoria, sed etiam quos ætas ac sæculum præsens videt, hos ego contemplari & circumspicere iubeo, videbis vsitatum & communem tyrannorum exitum aut gladium aut venenum, vereq; illud à Satyrico dictum dices:

*Ad Generum Cereris sine cade & vulnere pauci*

*Descendant Reges, & sicca morte tyranni.*

Relinquamus profana, quærentes quid crudelitatis nefas, quo omnes occidit infantes, Herodi profuerit vermi-  
*Macrob. lib. 2. c. 4.*  
 bus consumpto & scabie?  
*Sat.*

Augusto Imperatori opprobrium factus est ob hanc immanitatem; ille enim intelligens, nec filij proprii sanguini inter occisos pueros in Syria parcitum, per iocum aiebat, malle se esse Herodis por-



cum quàm filium : inter Iudæos enim à porcinis abſtinebatur.

*Exod. 7.  
& seq.*

Quid non nocementi attulit Pharaoni, totiq; Aegypto eiusdem crudelitas? Lege cap. 7. Exodi vsque ad 15. & inuenies plurima damna, plagas, miserias, & Domini vindictas.

Sapienter ergo Sapiens, tales Leoni rugienti & esurienti vrsus adæquat: Leo, inquiens, rugiens, & vrsus esuriens Princeps impius super populum pauperem. Leo dum rugit, quis non timet? dum vrsus vagatur prædam quærens, quis liberè obuiabit?

Non igitur benedicti tales, qui mansuetudinem ignorant, crudelitatem ad suam suorumque perniciem colunt, sed solus Rex noster mansuetus, benedictus qui venit in nomine Domini.

CHRISTVS REX NON  
CRVDELIS.

*Luc. 9.*

Hoc vt Reges intelligant, cogitent, quòd veniens dicat, Non veni perdere, sed saluare. Hoc Regum, hoc Principum, hoc munus Superiorum est, saluare non perdere. Verè itaque benedictus, qui.



qui mansuetus veniens, non arma gestat,  
non lanceam aut gladium vibrat, Rex a-  
pum est, mel, non aculeum portat.

Quis, quaeso, non timeret, audiens:  
quia venit Filius Dei memor fortè of-  
fensarum?

Quis non cum Adamo primo homi-  
num patre, Filicida, & prauaricatore la-  
tebras querens diceret: *Vocem tuam du-  
diui, & timui, eo quòd nudus essem?* Sed *Gen. 3.*  
suspende gradum, noli fugere, mansue-  
tus venit, non crudelis, non venit ad fa-  
ciendam vindictam in nationibus, incre- *Psal. 149.*  
pationes in populis, sed ad faciendam mi- *Luc. 1.*  
sericordiam. Benedictus igitur merito  
dicendus & habendus est.

Audite, Reges, Principes, Superiores;  
Ipse, erudimini qui iudicatis terram; i-  
pse, inquam, est, qui dicit: *Discite quid sit, Matth. 7.*  
*misericordiam volo, & non sacrificium.*  
Ipse, qui mansuetudinem à se disci pero-  
ptat: *Discite à me, quia mitis sum.* Ipse *ibid. 11.*  
est, qui mites beatos & prædicat, & solus  
facit: *Beati mites, quoniam ipsi posside- Ibid. 5.*  
*bunt terram.* Ipse est, qui iram crudelita-  
tis matrem strictè prohibet: *Ego autem*  
*dico vobis, nolite irasci.*



BENEDICTVS ERGO REX NOSTER,  
QVI VENIT NON CRVDELIS,  
SED MANSVETVS.

Exempla mansuetudinis eius audire cupis? Paruulum contemplare in praesepio vagientem, esto sit tonans in coelo, quid tali mansuetius excogitari posset?

*Luc. 2.*

Calumniatum audi saepius, & nunquam indignatum: *Cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur.*

*1. Pet. 2.*

*Ioan. 19.*

Coram illo & ab illo prostratos fortiter cerne hostes, sed mansuetè erectos ab eodem. Discipulum, gladium strigentem, & defensionem eius molientem prohibitum considera, & instructum:

*Matt. 26.*

*Qui agit cum gladio, gladio peribit.*

Proditorem, amici infra se salutantem, non solum non refugisse, meditare, immò eidem osculum praeuisse ex corde, non fictè.

Armatas in eius mortem ad vindictam iniustae necis omnes obstupescere creaturas, & ab illo mirare inhabitas, hisce verbis: *Pater ignosce.* Optimè igitur dicitur benedictus qui venit, quia venit mitis, quia venit mansuetus.



Da, Christe, gratiam, vt hinc Superiores participes fiant mansuetudinis tuæ, ne ibi indignationis tuæ potentiam experiri cogantur. Discant Calamum quassatum non conterere, nec linum fumigans extinguere, vt benedicantur, pacemque obtinere possint.

---

## DISCURSVS VI.

*Benedictus qui venit in nomine Domini. Matth. 21.*

Quia Legum est Obseruator.

**P**roscripã in superiori Discursu, à Regibus & Dynastis crudelitate: Nunc, vt cum Christo Legibus sese non eximant, docebo, si alias benedicti esse velint, pacemq; obrinere, ritè imperat ille, qui, quod vult alios, ipsemet ante facit.

Or-